

Cartulaire de Marmoutier pour le Dunois, Cartularium Dunense Maioris Monasterii Nr. 90

Sciatis pro certo posteri nostri quod Hubertus, Magnonis filius, quando dedit filiam suam Gaufrido Normanno, cum quadam parte terrae suae totam terram suam quae est a loco, qui dicitur Chainstra usque ad molendinos de Moreiis, ad animam suam hereditandam retinuit. Quod bene et libenter concesserunt supradictus Gaufridus et uxor eius Alburgis. Huius rei testes sunt: Hugo vicecomes, Gaufridus legedoctus, Hugo de Patai, Johannes de Arro, Guillelmus de Vilers, Tetbaldus Pelez, Bernardus de Doiaco.